

urbe Quebec Novæ Galliæ expostulavi, quæ omnia versus hujusce autumnii finem accipiam, et protinus tibi mittam; nostra enim specimina floribus destituuntur, aliunde figura delineata a D. Aubriet imperfecta adhucdum superest.

Nata in horto Upsaliensi hybrida est vere singularis progenies, quæ si felices haberit eventus, prolemque dederit fertilem, novum erit in naturâ spectaculum prorsus stupendum, unde generis alterius a mutuo diversarum plantarum concursu facile demonstratur procreatio; quod mirum et huc usque inauditum, in solo vegetabili regno forte obvium.

Præclara sunt ea quæ invenit, observavit et descripsit tuus discipulus D. Hasselquist, curiosa quæ de Sycomori floribus narrat, a te edoctus plura videbit quæ ceterorum oculos effugissent; varia scitu digna Actis Upsaliensibus inserenda polliceris, quamprimum ut facias rogo et obtestor.

Kalmius alter discipulus pretiosam ex Americâ mercedem tibi renuntiavit, specificum Indorum sylvestrium adversus luem veneream, medicamentum nobile experimentis et observationibus sæpe confirmatum, cujus vires eximiæ probantur facili medicatione, et promptâ morbi hujus curatione, optandum. Superest ut eosdem salutare apud nos sortiatur effectus, medicina ægris tantopere utilis.

E gemmis arborum quo die prodierint folia sedulo annotabo, sylvestrium præcipue arborum, uti mones et desideras. Eodem modo hordei seminati et resecti diem observabo. Hoc fiet anno. Alia si a me cupieris, scribas velim, me semper reperies ad vota tua exequenda paratissimum. Non vidi Cardiacæ characterem essentialem, globulos nempe illos minutissimos niveos supra antheras ab utroque latere aspersos; cum primum florebut species hujus generis a te designatæ, huic indulgebo spectaculo. Floræ Parisiensis Prodromus Dalibardi incuriam ostendit, erravit enim non semel in illis quæ a te mutuatus est; sed nihil mirum cum in re herbariâ sit parum versatus. Neminem consultum voluit, ne quid forte gloriæ detraheretur, quam lucrari autumavit tuis sic et aliorum spoliis indutus.

Methodus quâ spiritus vini coerchetur ne avolet descriptam a D. Daubenton reperies in Præfatione Historiæ Naturalis Cymelii Regii,* vol. 3^o, et a D. Reaumur in eo volu-

Boehmeri Comment. de Plantis in Memoriam Cultorum nominatis) falso confunditur cum cognomine docto Dioscoridis interprete (anno 1598) Jano Antonio Sarazin Lugdunensi, qui tamen sæculo et ultra antecessit; ex quo Sarracenam dictam affirmat, per alium errorem, cl. Wittstein in opere recentiori (*Etymologisch-botanisches Handwörterbuch*).

* *Histoire Naturelle du Buffon*. Voluminis hujus prior et dimidia circiter pars a cel. Daubenton redacta inscripta est: *Description du Cabinet du Roy*, et ulterius *Description de la Partie du Cabinet qui a Rapport à l'Histoire Naturelle de l'Homme* in quâ documenta hic indicta continet caput (p. 171–210) *Pièces d'Anatomie conservées dans les Liqueurs*.